

59

ex nostrâ Inſcriptione conſtat, & ex Catone apud Nonium Marcellum de Propriet. Serm. pag. 63. Edit. Pariſ. Perier: *Cato de moribus Claudii Neronis: Haruſpicem Fulguratorem ſiquis adducat*. Sæpe etiam absolute Haruſpices dicti, ut apparebit ex Senecâ mox adducendo. Horum autem Haruſpicum Fulguriatorum munus patet ex Etymo. Fulguriatores dictos fuiſſe, *quod fulgura inſpicerent*, tradit idem Nonius Marcellus loco laudato; Quotiens igitur fulgura, aut tonitrua exſtitiffent, ad eorum interpretationem, & procurationem Haruſpices Fulguriatores adhibebantur, ut ex innumeris veterum Scriptorum locis conſtat, quos vide apud Bulenger. de Terræmot., & Fulmin. cap. VI. & VII.; Officium præterea illorum fuit loca fulgurita, hoc eſt fulmine icta, recognoscere, quia ſtatim religioſa fiebant, *quod ea ſibi Deus dedicaffe videretur*, ut ait Feſtus in V. *Fulgur*; hominum pariter fulmine icorum ſepultura, & funebre officium ad eos pertinebat. Seneca de Clem. lib. I. Cap. 7. *Ecquis Regum erit tutus, cujus non membra Haruſpices colligant? Quod ſi Dii placabiles, & æqui delicta potentium non ſtatim fulminibus proſequuntur &c.* Bene autem, ac ſapienter Piſaurenſes Etruſcum Cortonâ hominem, ut Haruſpiciſ Fulguriatoris munere Piſauri fungeretur, advocarunt; fulguratus enim ſcientia apud eam gentem cæteris quodammo- do Haruſpicinæ partibus præſtabat vel Cicerone teſte, qui lib. I. c. 41. de Divinat. *Etruria, inquit, de Cælo racta ſcientiffime animadvertit*; hinc Cælum in ſexdecim partes fuiſſe ab Etruſciſ diviſum tradit idem Cicero lib. II. C. . de Divinat.

FVLGVRIATOR. Litera I abundare videtur. Sed, quum ſemel tantum in antiquis lapidibus, quos vidi, occurrat verbum FVLGVRATOR Grut. pag. XXI. 5., plerumque enim FVLGERATOR dicitur, ex noſtrâ Inſcriptione non ideo illa eſt expungenda, perinde ac ſi Quadratarii errore irrepſerit; Verum ex eâ, tamquam certiffimo teſtimonio, vera, germanaque hujus vocis orthographia ediffcenda. (\*)

Verſiculum Etruſcum Latinæ Inſcriptioni ſubjectum Clariffimus Senator Philippus Bonarrotius in Addit. ad Regal. Dempſteri Etrur. § XLVI. *in artis ſignum* additum exiſtimavit; Ego vero antea etiam quam Etruſcas literas attigiſſem, putabam Etruſci hominis Latinâ primum, deinde patriâ linguâ inſcriptam; videbam enim totidem eſſe Etruſcæ Inſcriptionis ver-

H 2

ba,

(\*) Solabant tamen Veteres hanc literam vocibus ſæpenumero inſerere, ita in p. DLXXXVI. 9. *CARTHAGINIENSIS*, & paſſim in vetuſtis Inſcriptionibus, & apud Priſcianum.